DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICALIS DE USU FORCIPIS IN PARTU

QUAM

DIVINIS SUB AUSPICIIS

EX AUCTORITATE

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE ATQUE LEGITIME CAPESSENDI

DIE XXVIII. AUGUSTI A. MDCCLXXI.

SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBJICIET

EMANUEL FRIES

MÜLHUSINO - HELVETUS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Ex Officina Univerſitatis Heitzianæ.

PERILLUSTRI atque EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DN. JOHANNI

LIBERO BARONI

DE FRIES

SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE APOSTOLICÆ

MAJESTATI

A CONSILIIS COMMERCII

NEC NON METALLIFODINARUM

DIRECTORI

&c. &c.

FORTUNÆ SUÆ AUCTORI

DOMINO AC MÆCENATI

LONGE INDULGENTISSIMO

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

UT GRATISSIMAM

COLLATORUM BENEFICIORUM PUBLICE PROFITERETUR

MENTEM

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROŒMIUM.

Quanti ſit uſus Ars obſtetricia, nemi- nem ſane latere poteſt, qui cogitet innumerabilem caſuum multitudinem, ubi, tam miſeris matribus, quam teneris earum fructibus ſine ejus auxilio pereundum eſſet. Quid igitur humanitate, quid Medico dignius, quam non ſolum unius, ſed duorum & plurium quandoque hominum mortem avertere? Maximam ergo laudem meretur illorum Virorum ſtudium, qui Artem obſtetriciam magis magisque

excoluerunt, & accurata partium genitalium diſſectione atque diſquiſitione, nec non aptorum inſtrumentorum excogitatione ad tantum perfectionis gradum illam perduxerunt; ſed illi procul dubio maxima digni ſunt veneratione, qui hanc Artem ad matris æque ac infantis ſalutem accommodare tentarunt. Forceps *a*) quum interdum huic fini inſerviat, & ex Univerſitatis hujus inclytæ legibus mihi incumbat Specimen conſcribere, ejus uſum in partu exponere conſtitui. Lætabor equidem, ſi ſcopo meo ſatisfeciſſe benevolo Lectori videbor; at idem calamo minus exercitato veniæ nonnihil ſpero, ubi arduum hoc argumentum non ad amuſſim exaſciatum deprehendetur.

---

a) Cum plurimæ proſtent Forcipum ſpecies uſui obſtetricantium deſtinatorum, monuiſſe non erit ſuperfluum, me ſub Forcipe illud intelligere inſtrumentum chalybeum, cujus ope caput fœtus prehendi, leniter comprimi, &, abſque ut ei noxa inde afferatur, ex utero eliminari poteſt.

§. I.

Obſtetricantibus cum non raro acciderit, ut, ob fœtus caput prægrande vel male locatum vel incuneatum, eum extrahere vivum nequaquam potuerint, maximam navarunt ii operam, & nihil non tentarunt, ut in tali partu laborioſo vita tenello ſervari poſſet, nec fruſtraneus fuit eorum labor; Chirurgus enim Tigurinus, JACOBUS RUEFF, felici tandem ſidere Forcipem excogitavit fini huic ſatis jam reſpondentem *a*), cujus forſan ideam ex AVICENNA vel ALBUCASI hauſit; ille enim Forcipis extrahentis aliquam facit mentionem *b*), hic autem duorum Forcipum dentatorum tradit figuras, quorum majorem Almisdach, minorem vero Misdach vocat *c*). Hunc ſecutus eſt CHAMBERLINUS ejusque filii, qui Forcipem diu arcanum habuerunt, usque

a) Vid. Cel. CRANTZII Diſſert. *de Re inſtrumentaria in arte obſtetricia*, pag. 14. §. 10.

b) Lib. 3. Fen. 21. Tract. 2. Cap. 14.

c) Horum figura quoque proſtat in SPACHII Gynæciorum libro.

dum Chapmannus, Chirurgus in Anglia celeberrimus, publici juris eum fecerit. Latuit tamen primo Forceps in aliis regionibus, ejusque uſus neglectus fuit, donec tandem Gilles le Doux, Chirurgus Iprenſis, itemque Palfynus, Gandavenſis Chirurgus, de Forcipis alicujus inventionis gloria certarent, unde, retento a Palfyno nomine, Gallis uſui eſſe cœpit *d*). Varie dein, ut uſui evaderet aptior, ejus conſtructio fuit mutata a Petito, Gregorio, Soumain, Dusse, Levret, Smellie, Cel. Friedio tandem & aliis *e*).

Roonhuysii, Amſtelodamenſium Chirurgi inſtrumentum, Forceps a quibusdam perperam vocatum, ab illo plane diſcrepat; vectis enim ſiſtit figuram, ejusque fungitur officio *f*). Diverſis autem hisce inſtrumentis commemorandis diutius immorari, tempus & ſpatium vetant, quin etiam eorum hiſtoria ab aliis tam curate tradita eſt, ut ei

d) Levret *Obſervations ſur les cauſes & accidens de pluſieurs accouchemens laborieux*, pag. 81.

e) Vid. Levret. *l. c.* pag. 81. ad 98. & Crantzii Diſſ. cit. *l. c.*

f) Hujus figuram atque hiſtoriam vid. in Smellie *Traité de la théorie & pratique des accouchemens*, traduit par Mr. de Préville.

vix aliquid addi poſſe videatur. Pergo igitur, & pelvis hiſtoriam aggredior.

§. II.

Pelvis cognitio cum ad perſpiciendam Forcipis utilitatem maxime ſit neceſſaria, ejus deſcriptio, antequam ad alia me accingam, mihi eſt tradenda. Cavitas illa oſſea, quæ infimam trunci partem conſtituit, a figura, quam aliqualiter refert, pelvis ſolet vocari. Ex quatuor oſſibus ea eſt conflata, nimirum ex oſſibus innominatis, quæ etiam oſſa coxæ dicuntur, ex oſſe ſacro, & ex coccyge. Innominatorum oſſium quodvis in tres partes dividitur, quæ in ſubjectis junioribus cartilaginum ope junctæ, in adultis autem evaneſcentibus cartilaginibus ita firmiter connexæ ſunt, ut unum videantur efficere continuum; tres iſtæ innominati oſſis portiones ſub nomine oſſium ilii, iſchii & pubis comprehenduntur. Os ilii a Veteribus ita vocatum, quia ad ſuſtinendas illas partes, quas ilia aut latera vocarunt, inſervit *a*), e tribus maximum eſt, &

a) Vid. WINSLOWII Tractatum *de Oſſibus ſiccis*, p. 159. num. 577.

locum occupat ſuperiorem. Os iſchii inferius & exterius poſitum ſecundam oſſis innominati partem efficit, hujus tuberoſitati, dum ſedemus, totum corpus innititur *b*), quam ob cauſam germanice *das Sitzbein* vocatur *c*). Minimam oſſis innominati partem os pubis, quod anterius ſitum eſt, præbet. Oſſa innominata partes pelvis laterales & anteriorem conſtituunt, & anterius inter ſe invicem, poſterius autem atque lateraliter cum oſſe ſacro per ſymphyſin cartilaginoſam uniuntur. Os ſacrum in poſteriore pelvis parte locatum eſt, & impoſitam ſibi dorſi ſpinam ſuſtinet; hæc ſpinæ baſis in junioribus ex quinque oſſibus utplurimum eſt conflata *d*), quæ vertebræ ſpuriæ audiunt; junguntur hæc oſſa mediantibus cartilaginibus, quæ ſenſim ſenſimque imminuuntur, indurantur, & in adultis denique plane obliterantur. Oſſis ſacri figura ad illam trianguli accedit, cujus baſis ſurſum verſa cum ultima

---

b) Vid. citatum Authorem *l. c.* pag. 162. num. 589.

c) Vid. THEBESII *Hebammen-Kunſt*, pag. 4. §. 7.

d) Horum oſſium numerus non ſemper idem obſervatur, modo enim quinque modo ſex inveniuntur, vid. WINSLOW. *l. c.* p. 138. n. 510.

lumborum vertebra unitur, & ibi angulum prominentem efficit, apex autem deorſum tendens oſſi coccygis nexum præbet. Obſervantur porro in oſſe ſacro duæ facies, anterior nimirum, quæ concava & lævis eſt, poſterior contra convexa & inæqualis apparet; partes ejus laterales ſymphyſis ope cartilaginoſæ, ut ſupra dictum fuit, oſſibus innominatis annexæ hærent. Os coccygis inter oſſa pelvim componentia minimum, appendix quaſi oſſis ſacri eſſe videtur, ex tribus interdum quatuor oſſibus per ſynchondroſin junctis atque mobilibus illud eſt compoſitum, ejusque figura ad illam coni ſecundum longitudinem diſſecti appropinquat, cujus baſis mediante cartilagine apici oſſis ſacri affixa, facies autem plana antrorſum convexa retrorſum poſita eſt.

§. III.

In pelvis diviſione duæ aperturæ, ſuperior ſcilicet atque inferior, nec non ejus cavitas præprimis conſiderandæ veniunt, Obſtetricantibus ſcitu ſumme neceſſariæ *a*). Apertura pelvis ſuperior ad figu-

---

a) Vid. Roedereri *Elementa artis obſtetriciæ*, cap. 1. p. 2. not. 2.

ram ellipticam aliquo modo accedit; efficitur illa a criſta oſſium pubis, linea oſſium ilii eminente, & a ſuperiore oſſis ſacri parte, eo præcipue in loco, ubi illud cum ultima lumborum vertebra angulum illum prominentem, ſupra jam deſcriptum, ſiſtit. Hujus aperturæ duo notantur diametri, quorum unus ab uno ilii oſſe ad alterum ſeſe extendit, alius autem a ſymphyſi oſſium pubis ad primam oſſis ſacri vertebram procedit. In horum diametrorum dimenſione Authores valde diſſentiunt; alii enim majorem eorum tradunt menſuram *b)*, alii minorem *c)*; Cel. LEVRET *d)* majorem diſtantiam ab oſſe ſacro ad pubis ſymphyſin, minorem ab uno ilii oſſe ad alterum progredi ſtatuit. Celebri in arte Viro hac in re contradicere non animus eſt; indicaſſe

b) Vid. SCHULTZ. Diſſert. *de Situ fœtus in utero materno*, pag. 5. §. 5. ROEDERERI *l. c.* pag. 5. §. 8. & SMELLIE *Traité de la théorie & pratique des accouchemens*, traduit de l'Anglois par Mr. de PRÉVILLE, pag. 76. Sect. III.

c) Vid. THEBESII *l. c.* pag. 9. *Anmerk.*

d) *Obſervations ſur les cauſes & accidens de pluſieurs accouchemens laborieux*, pag. 129.

dicaſſe ſufficiet, contigiſſe mihi plures ſubjectorum recentium pelves dimetiri, nec unquam has diſtantiarum rationes a me fuiſſe repertas. Medium tetigiſſe videtur Cel. FRIEDIUS, Præceptor meus atque Fautor æternum colendus, qui diametrum ab uno ilii oſſe ad alterum quatuor cum dimidio, illum autem, qui a ſymphyſi oſſium pubis ad os ſacrum pertingit, quatuor pollices æquare contendit *e*). Pelvis apertura inferior formatur ab oſſium pubis arcu, eorundem atque iſchii oſſium ramis & protuberantiis, ligamentis ſacro-iſchiadicis *f*) & oſſe coccygis. Hujus circumferentia formam illa ſuperioris aperturæ minus regularem præfert, aperturæ inferioris diametri fere æquales, quatuor nimirum pollices circiter æquantes ambo inveniuntur. Hic tamen notandum, quod in ipſo partus articulo os coccygis ad pollicis usque diſtantiam repelli ſeſe patiatur, ita quidem, ut ille diameter, qui a ſym-

e) Vid. Ejus *Anfangs-Gründe der Geburts-Hülſſe*, pag. 3. §. 9.

f) Horum ligamentorum cum oſſibus nexum, qui noſſe cupit, adeat WINSLOWII Tractatum *de Oſſibus recentibus*, p. 228. num. 110. ad num. 115.

phyſi pubis ad os coccygis progreditur, eo tempore pollice augeatur. Si pelvis diametri plus juſto a conſueta menſura recedunt, tunc ejusmodi pelvis male conformata dici ſolet; aſt cave credas, omnes pelves rite conſtitutas in menſura diametrorum adeo exacte ſemper convenire, magna ſatis earum interdum obtinet diverſitas. Pelvis profunditatem quod attinet, illa a ſuperiori oſſis ſacri parte ad coccygis apicem usque quinque circiter pollices, retropreſſo autem coccyge ſex pollices æquat; a linea ilii prominente ad inferiorem iſchii marginem usque, in lateribus quatuor pollicum, anterius autem a margine pubis ſuperiori ad inferiorem duorum pollicum ejus eſt profunditas.

§. IV.

Finita pelvis deſcriptione, quomodo pelvis fœminea a virili differat, age disquiramus. Miranda ſane & hac in re ſapientiſſimi Creatoris providentia, qui partes fœminarum partui inſervientes huic negotio tam ſolerter adaptavit. Etenim in pelvi fœminea ilii oſſa latiora, magis a ſe invicem remota ſunt & applanata magis quam in virili, os

ſacrum retrorſum magis reclinatur, arcus a ramis oſſium pubis deſcendentibus formatus major atque latior eſt in ſequiori quam in virili ſexu; inter iſchii tuberoſitates in fœminis major ac in viris eſt diſtantia: os coccygis retrorſum illis inclinat, cum in viris antrorſum magis flectatur, angulus etiam prominens ab unione ultimæ lumborum vertebræ cum oſſe ſacro formatus in fœminis minor conſpicitur *a*). In genere denique notatur, pelvis fœmineæ capacitatem virili eſſe ampliorem *b*). Luculentiorem qui deſiderat partium pelvim conſtituentium deſcriptionem, is eam reperiet in WINSLOWIO *c*), DEVENTERO *d*) & DELEURYE *e*); ejus dimenſiones autem fuſe tradiderunt Cel. SMELLIE *f*) atque ROEDERERUS *g*).

a) DELEURYE *Traité des accouchemens*, pag. 10. §. 38.

b) Vid. cit. Authorem *loc. cit.*

c) In Ejus Tractatu *de Oſſibus ſiccis*, pag. 138. num. 508. ad 518. & pag. 157. num. 573 ad 606.

d) *Nov. lum. obſtetr.* Parte I. Cap III. pag. 14.

e) *l. c.* Parte I. Lib. I. Sect. 1. 2. 3. & 4.

f) *l. c.* Parte I. Cap. I. Sect. 3.

g) *l. c.* pag. 4. §. 8. ad 12.

§. V.

Expoſita jam pelvis hiſtoria, quædam circa caput fœtus ad ſcopum meum facientia nunc erunt monenda. Oſſa fœtus caput conſtituentia, non ita ut in adultis ſunt coalita, ſed quibusdam in locis ſpatia relinquunt intermedia *a*), e. gr. ibi, ubi ſutura ſagittalis coronalem in adultis tangit ſuturam; ſpatium hocce fontanella ſolet vocari. Hæc capitis ſtructura plurimum conducit eo, ut partus facilius poſſit abſolvi; compreſſis enim hisce oſſibus, oræ eorum vacillantes ſupra ſe invicem pelluntur, ita capitis volumen imminuitur, illudque ad permeandam pelvim aptatur. Capitis etiam duo obſervandi ſunt diametri, quorum major a fronte ad occiput, minor autem ab una aure ad alteram porrigitur.

§. VI.

Hisce de fœtus capite præmiſſis, ad ejus per pelvim in partu naturali tranſitum pedem nunc promovemus. Omnes inter veteres Artis obſtetriciæ

---

a) Vid. Cl. HESSLING. Diſſert. *de Lethalitate vulnerum capitis in infantibus recens natis*, §. 1. pag. 6. Jenæ 1769. defenſ.

Cultores, & recentiorum plurimi contenderunt, caput fœtus, facie ad os ſacrum verſa, in aperturam pelvis ſuperiorem ingredi, & eodem in ſitu per aperturam inferiorem exire. Angli, Cel. OULD *a*) atque Cel. SMELLIE *b*) primi quod ſciam fuerunt, qui aliam adoptarunt opinionem; diuturna enim experientia & frequenti gravidarum ſectione edocti viderunt, caput in ſuo in pelvis ſuperiorem aperturam ingreſſu utplurimum ita eſſe locatum, ut facies unum, occiput vero alterum os iſchii reſpiciat, una aure ad pubis ſymphyſin & altera ad os ſacrum verſa; dum autem in aperturam inferiorem caput propellitur, ſitum ſuum ita mutet, ut facies oſſi ſacro, & occiput ſymphyſi pubis, aures contra iſchii oſſibus reſpondeant *c*). Nec unica hæc eſt ratio, cur Cel. hi Viri hancce ſint ſecuti ſententiam; comparatio enim diametrorum pelvis cum capitis

a) *Treatiſe of midwifry*, pag. 28.

b) *l. c.* Tom. I. pag. 84. & 230. nec non Tom. II. pag. 25. & ſeq.

c) Hic ſitus optime delineatus proſtat in Cel. SMELLIE *l. c.* Tom. IV. & quidem Tab. 9. caput in ſuperiori, Tab. autem 14. in inferiori pelvis apertura hærens ſiſtitur.

diametris, ad eos hanc in viam deducendos haud parum momenti habuit. Præterea liquido demonſtrat Cel. OULD *d*), egregie falli eos, qui partum difficilem inde reddi exiſtimant, ſi facies latus reſpiciat *e*). Etenim illum ſi audiamus, hoc in partu humeri fœtus oſſa ilii reſpiciunt; facies igitur ad unum alterumve humerum eſt verſa, & hoc in ſitu fœtus ſine ulla difficultate pelvim permeare poteſt, humeris quippe tunc nullibi retentis. Aſſentitur etiam Cel. hisce Viris Cel. VAN DOEVERN *f*), qui omnes fere Authorum circa fœtus ſitum opiniones egregie tradit. Nec aliter ſentit Cel. DELEURYE *g*), qui primus inter Gallos ad hanc ſententiam tranſiit,

---

d) *lib.* & *loc. cit.*

e) Vide Clar. HELD. Diſſ. *de Partu laborioſo*, anno 1769. Jenæ defenſ. ait ille pag. 18. §. 16. "Pejus eſt, difficillimaque exinde oritur partus ſpecies, ſi facies ad unum vel alterum os ilei reſpiciat, capite enim in pelvis aperturam promoto, humeris tandem in oſſa pubis & ſacrum infixis, partus retinetur."

f) Vide Eum in Specimine obſervationum academicarum &c. p. 116. ita loquentem: "Illud etiam notandum breviter eſſe exiſtimo, faciem fœtus fere ſemper unum alterumve latus uteri ſpectare, adeoque aures verſus oſſa pubis & ſacrum matris eſſe poſitas."

g) *l. c.* pag. 36. §. 147. ad 152.

& cauſas, cur caput per pelvim ſic tranſigatur, dilucide exponit. Cel. Friedium quoque horum fovere partes, ex ejus ſcriptis unicuique facile patebit *h*). Atque heic ſane mirari ſubit, qui factum ſit, ut Cel. Roedererus a ſe ipſe diſcreparet. Nam in *Iconum Uteri humani* Tab. V, cui inſcriptio eſt: *Fœtus & Placenta in poſitu naturali*, ſitum fœtus modo dictum exhibet, non vero ejus theoria iconi huic conformis eſt *i*). Cel. Levret in agripparum partu faciem fœtus, ad accelerandum partum, in latus vertendam eſſe ſuadet *k*); miror igitur, cur in partu naturali eodem modo non ratiocinetur.

§. VII.

Huic ſententiæ ut plus præſidii comparetur, Obſervationes quasdam hicce locorum factas recenſere e re mea eſſe duco. Primam Excellentiſſ. atque

---

h) Vid. Ejus lib. cit. pag. 3. §. 10. & pag. 69. §. 189.

i) Vid. not. α. β. γ. δ. ad eandem tabulam.

k) *Art des accouchemens*, pag. 227. §. 712. " *On doit toujours* (inquit Cel. Vir) *s'appliquer à faire deſcendre la tête de l'enfant, le* „*viſage tourné latéralement, par préférence à toute autre poſition;* „*& elle ſe tournera d'elle-même en deſſous pour ſortir de la vulve.*"

Experientiſſimus Dn. Lobstein, *Med. D. Anat. ac Chirurg. P. P. O.* Fautor atque Præceptor ad ultimum vitæ halitum colendus, pro magno ſuo in me favore ac benevolentia mecum communicavit.

OBSERV. I. Initio anni 1769 fœmina triginta circiter annos nata, intra ſeptimum atque octavum menſem uterum gerens, morbo quodam afflicta, hujus civitatis Noſocomium ingreſſa eſt; per aliquod tempus ibi commorata, fato denique cedere fuit coacta. Cadavere ejus in Theatrum anatomicum translato, diſſecto, uteroque aperto, fœtus in illo hærens, eodem in ſitu oculis ſeſe ſtitit, ut illum Cel. Smellie *a*) delineatum tradit; nam caput in pelvis apertura ſuperiore ita fuit locatum, ut facies unum, occiput vero alterum uteri latus reſpiceret, oſſium temporum altero ad pubis ſymphyſin, altero autem ad os ſacrum verſo. Oſtendit mihi porro Cel. Vir duo præparata, quæ in Theatri anatomici Cimeliarchio ſervantur; primum offert fœtum, in ſitu modo dicto conſpiciendum; alterum vero fœtum ſiſtit, cum capite in pelvis apertura

a) *l. c.* Tom. IV. Tab. 9.

tura inferiore hærentem, facie itaque verſus ſacrum & occipite ad pubis oſſa tendente *b*).

OBSERV. II. Anni præteriti menſe Martio, cum, duce Cel. FRIEDIO, Arti obſtetriciæ operam navarem, vocatus fuit Cel. Vir ad fœminam octavo menſe gravidam, in mortis agone conſtitutam. Accerſi me curavit optimus Præceptor; vix autem ejus conclave eramus ingreſſi, cum jam efflaret animam. Diſſecto cadavere, eundem, ac in prima obſervatione deſcriptum, fœtus ſitum oculis uſurpare mihimet ipſi licuit.

§. VIII.

Hæc omnia qui rite perpendit, Cel. OULDIO atque Cel. SMELLIE aſſentiri minime hæſitabit, & eo magis quidem, quoniam ſitus deſcriptus partium ſtructuræ optime convenit; majore enim capitis fœtus dimenſione reſpondente majori pelvis fit, ut, inchoantibus partus doloribus, caput aliquantum lateraliter ingrediatur aperturam hujus ſuperiorem; dein autem ulterius delapſum, in medio pelvis ca-

b) Vid. eundem ſitum in SMELLIE *l. c.* Tom. IV. Tab. 14.

vo (ubi dimenſionum ratio eſt inverſa,) incurrat in os iſchii, indeque, niſi deviatio admodum magna fuerit, facile determinetur, levi rotatione facta, facies in partem oſſis ſacri anteriorem maxime concavam, & occiput ad pubem ita dirigatur, ut naturali poſitione caput in lucem prodire queat. Ne tamen opineris, B. L. adeo perpetuam illam fœtus poſitionem a me haberi, quin putem, hunc ſæpius ab ea deflectere; per pelvis juſto amplioris aperturam ſuperiorem, v. gr. caput, facie ad os ſacrum verſa, facili ſatis negotio intrare poterit. Quantam hoc εὕρημα Arti obſtetriciæ attulerit lucem, & quanti in illa ſit uſus, ex ſequentibus, ubi de Forcipis applicatione ſermo erit, clare patebit.

§. IX.

Plura autem ſæpe objiciuntur obſtacula, quibus caput in ſuo per pelvim tranſitu impeditur, nobis nunc recenſenda. Obſtacula hæc naſcuntur vel a matre, vel a fœtu, & mater quidem in culpa eſt, ſi ejus pelvis juſto eſt anguſtior *a*), vel ſi exoſtoſis

a) Cel. ROEDERERUS *l. c.* pag. 6. §. 12. plurimas recenſet cauſas, quæ ad anguſtandam pelvim ſymbolam contribuere poſſunt. Cel

ejus capacitatem diminuit *b*), vel articulo coccygis cum oſſe ſacro immobili reddito. Nec multo minora ponit uterus impedimenta, ſi nimirum vel oblique ſitus *c*), vel ejus orificium durum atque calloſum eſt *d*); in priori enim caſu caput a pelvis axi recedens in ejus oſſa impingit, in poſteriori vero orificium capitis preſſioni difficilius cedit. Partus etiam negotium, ubi parturientis vires prorſus ſunt proſtratæ, ſic quoque dolores ad partum veri ceſſant, potiſſimum impeditur *e*). Obſtacula a fœtu oriunda ſub ſequentibus comprehenduntur. Si caput ejus juſto majus pelvis rite conſtructæ diametrum ſuperat, vel juſto gaudens volumine inique

SMELLIE *l. c.* Tom. IV. Tab. 28. talis pelvis iconem dedit, in qua fœtus caput incuneatum hæret.

b) Exoſtoſeos memorandum tradit exemplum Clar. THIERRY in Diſſert. *de Partu difficili a mala Conformatione Pelvis*, an. 1764 hicce locorum defenſa.

c) de utero oblique locato tanquam partus difficilis cauſa primus ſcripſit DEVENTER *l. c.* cap. 11. pag. 46.

d) vid. ROEDERERI *l. c.* pag. 239. §. 572. & DELEURYE *l. c.* pag. 190. §. 601.

e) vid. DELEURYE *l. c.* pag. 191. §. 606.

locatum eſt, vel oſſa cranii jamjam coalita preſſioni reſiſtunt *f*); porro ſi funiculus umbilicalis ſolito brevior, vel fœtus collo circumvolutus eſt *g*); tandem ubi manus vel brachia una cum capite in pelvi hærent infixa *h*). Pluribus modo dictarum circumſtantiarum, ſi invicem unitæ reperiuntur, difficiliorem ſemper partum reddi res ipſa demonſtrat, & inde ſine dubio partus difficilis in ſimplicem & complicatum a quibusdem fuit diviſus *i*).

§. X.

Hoc in rerum ſtatu, cum uteri vires partui abſolvendo non raro ſint impares, qualis ſit ferenda medela paucis trademus. In pelvi, inprimis ubi apertura ejus inferior nimis eſt anguſta; ſi caput ita hæret infixum, ut neque promoveri nec repelli poſſit, tunc incuneatum, Gallis *tête enclavée*, illud ſolet vocari; huic capitis paragomphoſi obviam ire

f) vid. Clar. HELD Diſſ. cit. pag. 17. §. 15.

g) LEVRET *Art des Accouchemens* pag. 102. §. 578. & ſeq.

h) LEVRET *Suite des Obſerv. &c.* Obſ. 34. pag. 183. & FRIEDII Lib. cit. pag. 129. §. 343.

i) ROEDERERUS *l. c.* pag. 181. not. 91.

nullo pacto valemus, ideo, quia nulla adſunt ſigna illam indicantia, & non raro accidit, ut partus, qui ſub initio optimum videbatur promittere ſucceſſum, non niſi Forcipis ope fuerit abſolutus. Præſens autem cognoſcitur, ſi explorantes caput in pelvi immobile ſentimus, & cranii oſſium oras ſupra ſe invicem valde propulſas, nec digitus pelvim inter & caput in toto ejus ambitu immitti poteſt. His ubi acceſſerit tumor capitis auctus, parturientis genitalium tumor atque inflammatio, vires debilitatæ, pulſus debilis, dolores denique plane ceſſantes, tunc Operator, niſi matrem & prolem in vitæ velit conjicere periculum, præſentiſſimum ferre debet auxilium. Quem in finem caput, ut ejus volumen aliquantum imminuatur, leniter eſt comprimendum, deinde caute extrahendum; cui quidem encheireſi cum Forceps optime conducat, quantocyus ille eſt applicandus. Sub ejus applicatione autem ſequentes cautelæ ut obſerventur neceſſe eſt.

§. XI.

Parturiens in ſitum collocatur operationi commo-

dum a). Forcipis cochlearia paulum calefieri & butyro illiniri debent, tunc Operator, ſi curvo vult uti forcipe, brachium illud, cujus juncturæ pars, brachiis junctis eorumque parte excavata ſurſum ſpectante, infra eſt poſita, ſiniſtra prehendit manu, dextram autem butyro illitam in uteri vaginam ingerit, atque in parturientis latere ſiniſtro, caput inter & uteri orificium, digitos quosdam immittit, qui cochleari conductoris loco inſerviunt b). Supra iſtos cochlear ingeritur, ea quidem ratione, ut ejus extremum capiti ſemper apprimatur, ne exinde lædi queat uterus. Accidit interdum, dum ulterius illud protruditur, ut auri inſiſtat; retrahendum tunc eſt paululum inſtrumentum, & motu vacillante ſupra illam ad juncturam usque, ſi id fieri poteſt, blande ingerendum, denique verſus perinæum dirigendum eſt manubrium c). Alterum brachium

---

a) Qualis ille ſit, vid. SMELLIE *l. c.* Tom. I. pag. 279. FRIEDII Lib. cit. pag. 64. §. 181. & DELEURYE *l. c.* pag. 224. §. 694.

b) Encheireſis hæc notatu eſt digniſſima; hac enim omiſſa, cochlear vaginam inter & orificium intrudi, atque paulo majori adhibita vi illa maximo cum matris periculo pertundi poſſet.

c) Forcipis curvi brachia rite dum applicantur, lineam curvam de-

in oppoſito latere eodem applicatur artificio, ea ſaltem cum differentia, quod ea, quæ a dextra fuerunt peracta, a ſiniſtra nunc peragantur. In applicatione Forcipis recti, qualecunque ejus brachium primum applicetur, perinde eſt, modo id fiat in latere parturientis ſiniſtro *d*). His ita geſtis, capiteque ambobus a cochlearibus bene prehenſo, junguntur brachia, & manubria injecta firmantur ligatura. Brachiis bene firmatis, Operator ſtabili manu prehendit manubria, illa primo deorſum, dein tantillo ſurſum, ut pelvis ſequatur directionem, in motu ſpirali agit, leniterque attrahit; ubi eo jam usque prodiit caput, ut ab eo perinæum diſtendatur, ob dilacerationis metum, manus palma iſtud eſt ſuſtinendum & reprimendum, usque dum caput extractum fuerit; hoc pacto elevatis tandem manu-

---

ſcribunt; in applicatione enim ſurſum primo ſpectat manubrium, cochleari autem altius penetrante horizontalem illud tenet ſitum, eo tandem penitus introducto deorſum verſum eſt manubrium. In Forcipe recto idem non obſervatur.

d) Non abs re fuerit indicare, hic mihi ſermonem eſſe de Forcipe FRIEDIANO, qui cum SMELLIANO eadem gaudet junctura; amplior ejus deinceps dabitur deſcriptio.

briis, atque verſus matris abdomen reflexis, frons & facies in lucem prodeunt; ſtatim ſolvitur ligatura, removentur Forcipis brachia, protrahiturque fœtus more conſueto *e*). Qua methodo ſi rite procedimus, infantes, niſi in utero ante Forcipis applicationem mortui fuerint, egregio ſpectaculo vivi in lucem protrahuntur, & ita una cum matre imminenti eripiuntur periculo *f*). Hoc modo procedimus, ſi caput in pelvis apertura inferiori bene locatum eſt, & ambo a juſta menſura non nimium recedunt; illius enim volumen dum pelvis aperturam multum ſuperat *g*), vel hac nimis anguſtata *h*), Forceps adhiberi nequit, ſed caput aperiendo & cerebrum eximendo ejus volumen minuitur, vel inſtituta ſectione Cæſarea fœtus ex utero liberatur.

Hæc

---

e) De hoc cum omnes in Arte Scriptores fuſius agant, illum hic recenſere ſuperfluum duco.

f) Circa capitis paragomphoſin ejusque cauſas atque medelam optime ſcripſit Clar. TOEL in Diſſ. *de Forcipis Uſu in paragomphoſi capitis.* Lugd. B. 1761. defenſa.

g) Hujus exempla vid. in SMELLIE Lib. cit. Tom. III. pag. 1. ad 9.

h) vid. cit. Autor. Tom. II. pag. 8. & Tom. IV. Tab. 28. & 29. nec non Clar. THIERRY Diſſ. cit. *l. c.*

Hæc autem cum ad inſtitutum meum non pertineant, intacta relinquo.

§. XII.

Caput ubi in ſitu naturali in aperturam pelvis ſuperiorem incutitur, facies unum alterumve reſpicit latus *a*); hoc in ſitu ſi Forcipe illud liberare volumus, alio plane modo ac in caſu præcedenti ille eſt applicandus; in latus itaque collocatur parturiens; hic ſitus enim ingerendis Forcipis brachiis eſt aptiſſimus *b*). Forcipem rectum in uſum hic eſſe trahendum, Cel. FRIEDIUS *c*) contendit, ideo, quia cochlearium curvatura obeſſe potius hoc in caſu quam prodeſſe poſſet, uti mox apparebit, Hujus igitur brachium alterum caput inter & ſymphyſin pubis, alterum vero inter caput & os ſacrum leniter & caute eſt ingerendum *d*), ne veſicæ collo vel

---

a) vid. §. 5. & SMELLIE *l. c.* Tom. IV. Tab. 9.

b) Hunc ſitum præcipue commendant SMELLIE *l. c.* pag. 289. & FRIEDIUS *l. c.* pag. 102. §. 266. No. 1.

c) Libr. & loc. cit.

d) SMELLIE *l. c.* Tom. IV. Tab. 16. brachia hoc modo applicata & juncta optime ſiſtit delineata.

inteſtino recto damnum inferatur; immiſſis rite brachiis & ligatura firmatis, caput ſub motu ſpirali attrahitur, usque dum pelvis ſit ingreſſum cavitatem, tunc facies ope Forcipis in oſſis ſacri dirigitur cavum *e*), & partus ſecundum regulas in præcedente §. datas finitur.

§. XIII.

Porro etiam caput, dum in pelvis apertura ſuperiori ob uteri retinetur obliquitatem, diverſis in locis ſecundum diverſam uteri directionem in ejus oſſa ſolet impingere; antrorſum enim ejus fundo vergente orificium verſus os ſacrum dirigitur *a*), ita non raro accidit, ut in hujus angulo prominente frons fœtus ſubſiſtat. Hoc in caſu, ſi vehementius uterus nondum eſt contractus, immiſſæ manus ope caput ab illo poteſt derivari, vel verſio inſtitui;

---

e) Hæc verſio, ſi forceps curvus adhibitus fuiſſet, difficillime ſuccederet; cum enim manubria ob cochlearium curvaturam circuli majoris partem ſub hac encheireſi deſcribant, partes genitales externæ contuſioni imo dilacerationi exponerentur, nec non uterus ipſe ab extremis cochlearium incurvis facillime poſſet lædi.

a) Friedius *l. c.* §. 212. Lit. *γ*.

aquis autem jam diu effluxis, uteroque valde contracto, in Forcipis & quidem curvi applicatione ſalus eſt quærenda. Forceps curvus hoc in caſu recto præfertur, ideo, quia ejus curvatura oſſis ſacri curvaturæ eſt accommodata, & pluribus in punctis, quam rectus, capitis ſuperficiem contingens, illud firmius amplectitur. Si igitur caput ob pelvis anguſtiam hoc in ſitu ejus aperturam *b*) permeare non valet, encheireſi §. XI deſcripta Forceps eſt applicandus, & hujus ope eo allaborandum eſt Operatori, ut ad latus facies paululum vertatur; hoc enim pacto, quum major capitis dimenſio majori pelvis dimenſioni reſpondeat, facilis illi concedetur tranſitus; in tali ſitu attrahitur caput, usque dum in pelvis pervenerit cavum, tunc facie in oſſis ſacri cavum verſa, methodo ſupra recenſita illud extrahitur; ubi vero, ut non raro accidit, Forcipe caput in ſuperiori apertura verti nequit, eodem quem tenet ſitu illud eſt attrahendum, quam methodum feliciſſimo ſæpe ſucceſſu ſe tentaſſe Cel. Friedius mihi declaravit.

D 2

b) Superiorem ſcilicet.

§. XIV.

Non raro etiam accidit, ut retrorſum deviet uterus, illo ſic vertebrali ſpinæ appreſſo, ejus orificium antrorſum tendit, tunc in partu caput pubis inſiſtit ſymphyſi *a*), & ideo, niſi Ars acceſſerit, hac in poſitione in lucem prodire nequit; hisce ſub circumſtantiis, ubi nondum uterus nimium fuerit contractus, quæſitis fœtus pedibus & verſione inſtituta, ille ex utero liberatur; ſi autem ob uterum nimis jam conſtrictum verſioni non eſſet locus, Forcipis tunc neceſſario requireretur auxilium. Cel. Levret, præter egregia alia inventa, quibus Artem obſtetriciam locupletavit, ingenioſam docet methodum, qua caput a pubis ſymphyſi deduci poteſt; hæc in eo conſiſtit, ut antequam primum Forcipis applicetur brachium, laqueus per ejus feneſtram trajiciatur; eo immiſſo prehenditur alterum, trajectoque per ejus feneſtram altero laquei fine, illud etiam ingeritur, ambo laquei extrema pendentia nodo uniuntur, & ſic anſam illa efformant,

---

a) Deventer *l. c.* pag. 46. & Friedius *l. c.* pag. 81. §. 213. Lit. *γ*. & *δ*.

hanc Obſtetricans ſiniſtra, manubria vero juncta dextra prehendit manu, illam primo deorſum, hæc dein antrorſum trahit; hoc pacto caput a pubis ſymphyſi deductum per pelvim tunc facilem habet egreſſum.

§. XV.

Uterus porro oblique ſolet eſſe ſitus, ita, ut ad unum alterumve latus ejus fundus dirigatur; tunc orificium reſpicit os ilii illius lateris, quod fundo eſt oppoſitum, ideoque caput, dum in partu ab uteri propellitur contractionibus, hoc in oſſe ſubſiſtit. In peſſima hac obliquitatis ſpecie infantes capite oſſi ilii adeo ſæpius infigi, ut cerebrum iis diffringatur, Cel. DEVENTER *a*) aſſerit. Cel. LEVRET *b*) autem, minori illam cum periculo conjunctam eſſe, jure ſtatuit. Hic, ut in caſibus præcedentibus, verſio eſt tentanda, hac autem ob citatas jam rationes impoſſibili, manus *c*) vel vectis *d*) ope ca-

D 3

a) *l. c.* pag. 47.

b) *Art des Accouchemens* pag. 113. §. 637.

c) ROEDERERUS *l. c.* pag. 212. §. 485. Lit. *β*.

d) IDEM ibid. Lit. *γ*.

put in pelvis dirigitur cavum; huic etiam negotio unum Forcipis recti brachium, quod vectis vice fungitur, eſt aptiſſimum *e*). Ubi autem ita firmiter inhæſerit oſſi caput, ut & hoc artificium eludat, ullo ſine temporis diſpendio, quo minus illud promoveatur, Forceps in uſum eſt trahendus. In modo applicationis autem diverſæ Autorum ſunt ſententiæ; nam Cel. LEVRET *f*) ſuadet, ut eo in latere, ubi minor eſt reſiſtentia, primum Forcipis inſinuetur brachium, & leni tunc motu, ſerrando quaſi, vel ſupra vel infra caput, in latus oppoſitum transponatur; eodem in loco ubi primum, ibi ſecundum ingeratur brachium, eaque ſic tandem jungantur. Sententiam fovet Cel. FRIEDIUS *g*) directe huic contrariam; illo enim in latere primum Forcipis brachium hic jubet immitti, in quo caput oſſi hæret infixum; hoc igitur, dum ilii oſſi ſiniſtri lateris inſiſtit, ſecundum leges §. XI præſcriptas Forceps eſt applicandus. Aliter res ſe habet, quan-

---

e) IDEM ibid. & HELD in cit. Diſſert. pag. 29. §. 29.

f) *Suite des Obſervations &c.* pag. 162.

g) Libr. cit. pag. 101. in fine §. 265.

do caput dextro ilii oſſi eſt infixum; tunc enim, immiſſo primum dextro in latere Forcipis brachio, hujus junctura deorſum ſpectat, cum e contrario junctura ſecundi brachii poſt applicationem ſurſum ſit directa; hac in directione Forcipis brachia jungere minime licet; peculiaris igitur encheireſis in uſum eſt vocanda, quæ quidem in eo conſiſtit, ut manubria leniter modo, ne partes circumjectæ ſumme jam tenſæ exinde lacerari aliove modo lædi queant, diducantur, illudque manubrium, quod inferius antea fuerat poſitum, alteri nunc ſuperimponatur; juncturis hac methodo rite poſitis ſeſeque offendentibus ulla ſine difficultate uniri brachia valent. Hanc methodum Cel. FRIEDIUS alteri præfert, ideo, quoniam ſi illam exercere tentamus, non raro accidit, ut, omni data licet opera, vix ac ne vix quidem circum caput cochlear geri & in oppoſito latere applicari poſſit, atque ſi vel maxime cochleari hoc modo applicando locus relinquitur, partium contuſio, imo dilaceratio, dummodo paulo arctius caput amplectuntur, eſt metuenda *b*).

---

b) Quatuor hasce obliquitatis ſpecies recenſuiſſe ſufficiat; reliquæ

§. XVI.

Ubi acerba ſorte uteri orificium durum reperitur vel calloſum, capiti ab ipſo remoram injici nemo mirabitur; uteri enim contractiones cum orificii reſiſtentiam majorem ſuperare nequeant, caput in partu non poteſt non retineri; inerti igitur naturæ ars ut ſuccurrat neceſſe eſt. Hunc in finem utriusque manus digitis indicibus butyro inunctis ſenſim ſenſimque dilatandum eſt orificium, capitique transituro via paranda. Irritis vero hisce moliminibus fœtum, ſi caput ejus in pelvim nondum fuit impulſum, nec nimio gaudet volumine, inverti jubet Cel. SMELLIE *a*). Hanc autem encheireſin maxime eſſe periculoſam nemo non videt; nam extracto fœtus corpuſculo, orificium, ob rigiditatem magis elaſticum, ejus collum firmiſſime cinget, capitis itaque tranſitum impediet, miſerumque tenellum in vitæ conjiciet periculum. Melius ergo rebus conſuli

enim ex iis facile poſſunt colligi. In genere obſervatur, quod, quo magis a ſitu naturali uterus deflectit, eo difficilior evadat partus.

a) *l. c.* Tom. I. p. 255.

conſuli reor, ſi caput, modo illud bene prehendi queat, Forcipe eliminatur; hoc enim educto, licet orificium circa collum tunc ſtringatur, demiſſis ſub fœtus alas digitis indicibus curvatis, lenem corpus ſequetur tractionem *b*).

§. XVII.

Forcipis etiam opera non raro requiritur, ubi, capite in pelvim jamjam ingreſſo, ob matris vires debilitatas uteri contractiones remittunt, vel plane ceſſant. Cel. SMELLIE *a*) diverſas tradit hujus generis obſervationes, ubi maximo tam matris quam infantis emolumento Forcipem adhibuit. Enimvero in capite nimis diu in pelvi hærente circulationem impediri, & a premente capite partes matris ſubjectas contundi atque inflammari, in propatulo eſt. Quapropter, niſi citiſſimum præſtetur auxilium, parturiens ſimul ac proles morti tradentur inevitabili.

E

b) Vid. DELEURYE *l. c.* pag. 200. §. 630.

a) *l. c.* Tom. II. rec. 25. art. 1. obſ. 1, ad 7.

§. XVIII.

Recenſitis jam obſtaculis a matre oriundis, quibus in tranſitu caput impeditur, eorumque medela, ad ea pergo impedimenta, quæ ab ipſo contrahuntur fœtu, & quantum Forceps in iis præſtet uſum, paucis nunc enarrabo. Caput fœtus juſto majus, vel ob cranii oſſa coalita preſſioni non cedens partum retardare monuimus; cum autem ad illud promovendum eædem indicentur encheireſes, quarum uſus eſt, ubi pelvis juſto eſt anguſtior *a*), easdem repetere nil attinet. Illud tamen non poſſum quin addam, ex pelvi rite conſtructa caput majus, præ eo, quod juſto gaudet volumine in pelvi anguſta, faciliori educi poſſe negotio.

§. XIX.

Fœtum quoque in tranſitu impediri, ubi caput ejus inique eſt poſitum, antea jam innui; hujus autem ſitus iniquus, quum diverſimode ſoleat variare, diverſæ iſtæ poſitiones nunc erunt conſide-

---

a) Vid. § XI

randæ. Optime eas expoſuit Cel. FRIEDIUS *a*), & cum illius diviſio accurata ac naturæ conveniens mihi videatur, eum inprimis ſequar. Capitis itaque ſitus triplici modo poteſt eſſe perverſus, facie nimirum ſive occipite ſeu aure præviis; tres iſtæ poſitiones præcipuæ in alias iterum ſolent dividi. Facie enim prævia vertex ſymphyſi pubis & mentum oſſi ſacro poteſt inhærere *b*); hoc in caſu, ut & in ſequentibus, ſi manu caput inde deduci nequit, nec verſioni locus eſt; Forceps optimum præbet auxilium; hic ea imprimis conducit Cel. LEVRET encheireſis, quam §. XIIII expoſui. Vel mentum pubis ſymphyſin & vertex os ſacrum reſpicit *c*). Forcipis applicatio ſi hoc in caſu requiritur, ea ſecundum §. XI eſt inſtituenda. Præterea & illud notaſſe juvabit, quod, ubi hujus ope ab oſſe ſacro frons fuit ſoluta, caput tunc prodeat facie ſurſum verſa, hac in poſitione, cum perinæum ab occipite valde

E 2

a) *l. c.* pag. 131. §. 384.

b) Hunc ſitum delineatum tradit SMELLIE *l. c.* Tom. IV. Tab. 25. & 26.

c) Vid. eund. ibid. Tab. 23. & 24.

diſtendatur, niſi manus exercitatæ operam ferant, ejus ruptura evitari nequit. Ingenioſam oſtendit diſcipulis ſuis methodum Cel. LEVRET, qua ope Forcipis occiput a perinæo elevatur, & hujus conſervationi optime proſpicitur. Hunc in finem oportet, ut Forceps curvus ea applicetur ratione, quam §. XIIII indicavimus, hac ſaltem cum differentia, ut laquei per feneſtras trajecti extrema ſurſum dirigantur, ibique formetur anſa, quam ſiniſtra ſurſum trahit, dum Forcipis manubria leniter dextra adducuntur. Caput hoc modo extrahitur, & perinæum ab imminenti periculo liberatur, vel facie transverſim poſita, vertex ad unum os ilii, mentum vero ad alterum vergit *d*). Si ob cauſas modo citatas neque verſio inſtitui, nec capitis ſitus manus ſive vectis ope mutari poteſt, Forcipe utplurimum, teſte Cel. FRIEDIO, qui deſideratum effectum ejus ope ſemper obtinuit, illud valet eliminari, hic autem ſecundum regulas §. XII præſcriptas applicari, eademque ratione caput extrahi debet. Occipitis

d) Hancce poſitionem in cit. Auth. Tom. cit. Tab. 22. delineatam reperies.

etiam, dum explorantis digito illud primum occurrit, ſitus triplici poteſt variare modo. Vel enim vertex oſſi pubis, & nucha oſſi ſacro, vel nucha pubis oſſi & vertex ſacro, vel vertex uni, nucha vero alteri illi oſſi poteſt inhærere. Diverſis his in ſitus variationibus Forcipis ubi requiritur applicatio, diverſimode hæc eſt ſuſcipienda, ita quidem, ut in priori caſu regulæ §. XIIII in ſequenti illæ §. XI & in ultimo denique illæ, quæ §. XII datæ fuerunt, obſerventur. Auris tandem ubi prævia eſt, facies pubis ſymphyſi & occiput oſſi ſacro, vel pubi occiput ſacroque facies obvertitur. Hoc in ſitu Forcipe caput amplecti minime licet; cum enim ſupra faciem unum ex cochlearibus eſſet ingerendum, ab hujus compreſſione illa vexaretur, imo in vitæ periculum inde conjiceretur fœtus; omnis igitur movendus eſt lapis, ut caput, antequam Forcipe illud extrahere tentemus, in meliorem ſitum redigatur. Plures inſuper ſitus variationes recenſet Cel. LEVRET *e*); plures etiam exiſtere poſſe ipſe fatetur,

---

e) *Obſervations ſur les cauſes &c.* pag. 126. ad finem uſque tractatus.

quum autem ex iis, quas recenſui, reliquæ faciliſſime colligi queant, eas allegare ſuperfluum eſſet.

§. XX.

Caput, ubi a funiculo umbilicali retinetur juſto breviore, & ſolius ope naturæ eliminari nequit, arte eſt promovendum. Hunc in finem, ſi ad aperturam pelvis inferiorem illud jam prodiit, unum duoſve digitos recto inteſtino inſinuari jubet Cel. SMELLIE *a*), quorum ope caput ſub quaque uteri contractione tenetur, ne, hac ceſſante, a funiculo illud retrahi poſſit. Eidem propoſito Cel. ROEDERERUS *b*) atque Cel. FRIEDIUS *c*) conducibile exiſtimant, in utroque latere unum alterumve digitum immittere, eorumque ope caput, ne recedere poſſit, firmiter detinere. Quodſi vero artificium iſtud non ſufficeret, ullo ſine temporis diſpendio ad Forcipem eſſet confugiendum. Eadem ſunt obſervanda, ubi circa fœtus collum funiculus contorquetur; attamen monuiſſe juvabit, fœtum hoc in caſu in

---

a) *l. c.* Tom. I. pag. 221.

b) *l. c.* pag. 233. §. 549.

c) *l. c.* pag. 91. §. 245.

majori verſari periculo, quippe cum a conſtricto circa collum funiculo venæ jugulares comprimantur, refluxu ſanguinis impedito, mortifera inde poteſt oriri apoplexia. Extracto capite funiculus ſupra illud a collo devolvitur, & corpuſculi eductione fœtus ex utero liberatur.

§. XXI.

Periculoſiſſimi quoque partus ſpeciem eam eſſe, ubi cum capite brachia ſimul vel manus in pelvi hærent incuneatæ, nemo artis peritorum inficias ibit. Exemplum recenſet Cel. LEVRET *a*), ubi fœtus tempora a pugnis ita fuere compreſſa, ut vitam inde amiſiſſet tenellus, niſi promtam Forcipe ille tuliſſet opem. Aliam tradit obſervationem Cel. SMELLIE *b*), de capite una cum brachio incuneato, quod Forcipis ope fuit eductum. Nullum ſane exiſtit inſtrumentum, quod Forcipi hoc in caſu palmam præriperet, caput enim, cum pelvi ſit firmiſſime infixum, nullo modo poteſt repelli, nullum igitur ſupereſt remedium, niſi capitis lenis com-

---

a) *Suite des obſervations &c.* obſ. 34. pag. 184.

b) *l. c.* Tom. III. pag. 53.

preſſio atque extractio, huic autem fini ex aſſe Forcipem ſatisfacere, ex ſupra dictis perſpicuum eſt.

§. XXII.

Quod ſi tantum Forceps in enarratis modo caſibus ſuum præſtaret uſum, inter optima inſtrumenta, quæ unquam in arte inventa fuere, recenſeri mereretur. Verum plures præterea obtinent caſus, in quibus inſigni uſu is ſeſe commendat. Ubi ſcilicet juxta caput, a vi contractionum in pelvim impulſum, funiculus umbilicalis in pelvim fuit prolapſus, quem caſum Cel. DEVENTER *a*) jam obſervavit ejusque delineationem tradidit, Forceps unicum eſt remedium, quo fœtus conſervari poteſt vita; cum enim verſio inſtitui, vel retro caput funiculus poni tunc nequeat, intercepto a funiculi compreſſione ſanguinis circulo, niſi illius ope caput eliminaretur, inevitabili iſte traderetur morti *b*). Neque minori nomine

a) *l. c.* Tab. 9.

b) Vid. DEVENTER *l. c.* pag. 163. PUZOS *Traité des accouchemens*, Chap. XVI. Art. 3. pag. 174. & LEVRET *Suite des obſervations &c.* obſ. 31. pag. 169.

nomine ſeſe commendat Forceps, ubi in agrippa-
rum partu, vel etiam inſtituta verſione extractoque
fœtus corpuſculo, hujus tractionem caput ſequi re-
cuſat & firmiter nimis in utero retinetur, corpus
enim vehementius tunc attrahere coactis facillime
contingere poteſt, ut colli laxentur vertebræ, imo
a capite truncus avellatur; Forceps autem dum ad-
hibetur, omne avulſionis avertit periculum. Quo-
modo in ejus applicatione ſit procedendum, & quæ-
nam ſint obſervandæ cautelæ, Cel. SMELLIE *c*) la-
tius dilucidiusque exequitur, atque ejusmodi par-
tus exhibet figuram *d*). Unum quoque Forcipis
brachium hoc in caſu magno inſervire uſui, Cel.
DELEURYE *e*) contendit, hoc ſub facie jubet im-
mitti, ut ſupra læve cochlear ea poſſit eliminari.
Difficillima hæc partus ſpecies, cum a capitis aucto
volumine fere oriatur, etſi ab hujus pravo ſitu eam
produci etiam poſſe non negem, ideo, quamvis
meum inſtitutum hæc non ſpectent, monuiſſe ta-

F

---

c) *l. c.* Tom. III. recueil 34. obſ. 7.

d) *l. c.* Tom. IV. Tab 34.

e) *l. c.* pag. 211. §. 656.

men liceat, capite in pravo ſitu prævio, verſionem nunquam eſſe inſtituendam, niſi capitis volumen antea probe fuerit exploratum; hoc enim prægrande, cum partem in orificio ſiſtat ampliſſimam compreſſionique minime cedentem, ne Forcipe quidem integrum extrahi interdum poteſt, cum e contrario, ſi omiſſa verſione vel manuum vel vectis ope caput in pelvis cavitatem fuiſſet deductum, Forcipe illud forſan potuiſſet extrahi & fœtus in vita ſervari. Fœtus prægrandi præditos capite quæſitis pedibus extrahere, nefando conſilio Manningham *f*) ſuadet; Cel. autem Smellie *g*) contrarium jure meritoque ſentit, ajens: "Lorſque la tête eſt trop „groſſe, ſi on tourne l'enfant, on pourra bien en „délivrer le corps; mais la tête reſtera priſe au-deſ„ſus du détroit, & on ne pourra la dégager ſans le „ſecours des crochets &c." Itidem mirifice convenit, ubi fatali eventu vel propter fœtus putredinem, vel ob ignorantiam obſtetricum a capite truncus fuit avulſus, illudque in utero remanſit, & ma-

f) *In artis obſtetricariæ compendio*, pag. 37.

g) *l. c.* Tom. I pag. 258.

nuum ope inermium eliminari nequit *h*). Hoc ſi minus commode Forcipe poteſt prehendi, Cel. DE-LEURYE *i*) uncum ipſi jubet infigi, quo firmo in ſitu illud teneatur, & eo facilius Forceps poſſit applicari. Capitis avulſi extractio, quantum, antequam Forceps fuerit adhibitus, obſtetricantium torſerit ingenia, ex inſtrumentorum hunc in finem inventorum multitudine ſatis ſuperque apparet *k*). Inſigni præterea virtute ſeſe commendat Forceps, ubi, capite in pelvim impulſo hæmorrhagia oritur uterina, & ſanguis e vaſorum oſtiis hiantibus copioſe effluens parturientem in anceps vitæ conjicit periculum *l*); hujus enim ope dum caput extrahitur,

F 2

h) ROEDERERUS *l. c.* pag. 271. §. 669. & FRIEDIUS *l. c.* pag. 138. §. 364. n°. 1.

i) *l. c.* pag 250. §. 766.

k) Horum plurima delineata reperiuntur in Tabula diſſertationi Cl. VOIGT, de capite infantis abrupto, variiſque illud extrahendi modis, annexa. Gieſſæ 1743. def.

l) LEVRET *Suite des obſervations &c.* obſ. 15. pag. 190. talis hæmorrhagiæ tradit hiſtoriam, ubi ob caput pelvis aperturam obturans nullus ex vagina effluxit ſanguis, ſed in uterum fuit effuſus, illum diſtendit & durum inde reddidit abdomen.

plurimum partus acceleratur, hoc autem expedito, cum libere nunc ſeſe contrahere queat uterus, ſimul contrahuntur vaſorum lumina, & hæmorrhagia ceſſat. Eadem Forceps præſtat, ubi convulſionibus vexatur parturiens, quibus primiparas præcipue affici Cel. Roedererus *m*) contendit; fœtu enim ſoluto ſtimulans cauſa aufertur; hæ, ſi poſt fœtus extractionem ſævire pergunt, aptis ſunt ſedandæ remediis. Natibus ubi fœtus in pelvim fuiſſet impulſus, Forcipe illas prehendi, & hoc modo fœtum extrahi poſſe illæſum, Cel. Levret *n*) aſſerit. Idem *o*), ubi humerorum prava eſt poſitio, ita, ut alter os ſacrum, alter vero ſymphyſin pubis reſpiciat, uno Forcipis brachio in rectum ſitum eos colligi poſſe, affirmat, & peculiarem encheireſin huic fini inſervientem diſcipulis oſtendit, quæ in eo conſiſtit, ut unum Forcipis brachium eo in latere, quo fœtus vergit dorſum, ingeratur, ejusque extremum, quoad id fieri licet, ſcapulæ illius hu-

---

m) *l. c.* pag. 280. §. 692.

n) *Art des accouchemeus*, pag. 111. §. 620.

o) ibid. §. 621. & Cl. Toel in cit. Diff. pag. 30.

meri, qui pubi innititur, imponatur, & hoc modo inſtituta ſemirotatione ab eo humerus deprimatur *p*). Perſpectis jam diverſis iis circumſtantiis, ubi ſummo tam parturientium quam pariendorum emolumento Forceps poteſt adhiberi, vix quemquam fore credo, qui ipſi ſuam in promovendo partu præſtantiam deneget. Fuerunt quidem, qui noxios inde effectus produci opinarentur, eorum autem cum Cel. LEVRET *q*) jam refutarit ſententiam, his ego non immoror.

§. XXIII.

Denique, ut ſtem promiſſo, Forcipis FRIEDIANI ſtructuram paucis ſum expoſiturus. Compoſitus ille eſt ex Forcipe LEVRETIANO *a*) & SMELLIANO *b*); iisdem enim cum primo gaudet cochlearibus, alte-

---

p) An hæc encheireſis in vivis poſſit inſtitui, Cel. FRIEDIUS valde dubitat, quia, ubi caput vaginam undique replet, forcipis brachium ad humerum uſque vix ingeri, neque, hoc etiam immiſſo, ſine magna tam capitis quam genitalium contuſione, ſemirotatio illa inſtitui poteſt.

q) *Suite des obſervations &c.* pag. 200. & 201.

a) Hujus figuram vid. in LEVRET *Suite des obſervations*, Tab. 2.

b) ibid. & SMELLIE *l. c.* Tom. IV. Tab. 37.

rius autem ipſi ſunt manubria atque junctura, hanc ob cauſam reliquis eum præferendum eſſe reor; nam Cel. Levret ſua correctione plurima cochlearibus conciliaſſe commoda ex Ejus Operibus ubique fere apparet; nec quisquam hac de re dubitabit, qui conſiderat, optime partibus illa eſſe accommodata *c*), Forcipis autem Smelliani junctura ideo mihi videtur præferenda, quia, dum Forcipem applicamus Levretianum, & oblique unum alterumve ejus cochlear, uti non raro accidit, eſt locatum, minime ea poſſunt jungi *d*), cum e contrario Smelliani Forcipis brachia, etſi oblique paulum fuerint locata, facili ſatis negotio uniri poſſint. Equidem objiceret forſan aliquis, hanc juncturam Levretiana minus eſſe ſtabilem; ſed Cel. Friedii & propria experientia convictus confirmare audeo, nunquam futurum eſſe, ut brachia, modo ligatura manubriis bene fuerit injecta, ſecedant.

Hæc ſunt, quæ de Forcipe ejusque in partu præſtantia Speciminis loco Academici in medium proferre erat animus; finem igitur operi impono, impenſe mihi gratulaturus, ſi inſtituto utcunque ſatisfeciſſe videbor.

---

c) Vid. Cel. Crantzii Diſſert. cit. pag. 34. §. 35.

d) Hoc vitium jam dudum perſpexit Cel. Levret, ideoque repetitis vicibus juncturam mutavit, & incommodum hocce tollere tentavit.